DE VI ATQUE POTESTATE GRAVIDITATIS IN MORBIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE VII. MENS. MAII A. MDCCCXXXV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR
FRANCISCUS MEURER
RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

F. NUESSE, MED. ET CHIR. DR.
I. B. WEIDGEN, MED. ET CHIR. DR.
I. STAUB, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.

INTRODUCTIO.

§. 1.

Jam primum omnium, quid sit graviditas statuendum videtur. Sed qui rem bene norit, graviditatis naturam tam amplam jejunis quibusdam verbis complecti se posse, minime sperabit, nec dubitabit, quin rectam graviditatis cognitionem e naturae ipsius tantum observatione assequi possit.

§. 2. Jam occurrit altera quaestio, utrum graviditas intra bonae valetudinis fines contineatur, an sit in morbis ponenda? Quum per graviditatem solam conservatio generis humani fieri possit, dubium non est, quin graviditas per se, id est, in forma sua normali, ad res physiologicas, ut verbo utar, non ad pathologicas pertinere. Neque tamen tacendum est, graviditatem morbis proxime esse affinem. In graviditate enim, maxime ejus initio, tam multa apparere solent, ut dolores dentium, vomituritio, vomitus, aegritudo animi, lassitudo corporis, quae si alias observarentur, profecto in morbis essent ponenda, sed cum graviditate ita conjuncta sunt atque cohaerent, ut, si morbosa ea dicamus, adnumeranda nobis sit rebus morbosis ipsa etiam graviditas.

§. 3. Non ineptum vero mihi videtur, porro quaerere, utrum semper sic constituta fuerit graviditatis natura, qualem nunc observamus, an meliorem quondam habuerit conditionem?

Monumenta vetustissima (et in primis dicam libros sacros) graviditatem talem nobis describunt, qualem nunc etiam comparatam videmus. Praeterea vero apud feras quoque gentes, quae in hac saltem re a natura minus recessisse videntur, eandem fere graviditatis rationem observamus, quae apud gentes cultiores occurrit.

§. 4. Corpus humanum ita constitutum est, ut omnes ejus actiones tendant potissimum in duas partes diversas, alteram in conservandis singulis, alteram in propagando genere versantem. Propagandi vero generis multo majorem partem mulieri natura commisit, in qua, recedentibus quasi ceteris functionibus, actiones ad generationem pertinentes, vigore quodam efflorescunt. Nec mirum igitur, mulierum morbos a morbis virorum multum deflectere. Nullus enim est in muliere morbus, nec diu esse potest, quin partium genitalium morbis, ab ipso illo morbo provocatis, complicetur. Quod quidem, quo magis partium genitalium actiones vigent, eo facilius fiet, ut menstruationis maxime et graviditatis tempore.

§. 5. Quae vero graviditatis vis atque potestas in morbis quanta sit et qualis, recte, et, quamvis brevissime, satis tamen accurate proponere, mihi in animo est, et, ut melius id consequar, hoc scriptum meum in partes duas, alteram universalem, alteram specialem dividam.

PARS UNIVERSALIS.

Quid possit graviditas in morborum diagnosin.

§. 6. Magnus est morborum numerus, quorum speciem prae se ferre graviditas potest, e quibus modo hysteriam, menostasiam, vomitum spontaneum, dyspepsiam, statum gastricum et pituitosum, ascitem, hydropem uteri et ovariorum dixerim. Praeterea vero in graviditate morborum permultorum diagnosis, quoniam in alio quasi fundo efflorescunt, indeque a forma consueta saepissime valde deflectunt, satis fit difficilis.

Quid possit in morborum prognosin.

§. 7. Plurimorum quidem morborum prognosis graviditate redditur pejor, sed minime omnium; sunt enim, quos graviditas ad melius ducat. In primis vero notetur velim, morborum acutorum prognosin in graviditate aliam esse, aliam chronicorum. Nam cum naturae actio in graviditate majori ex parte in uterum tendat, plerumque naturae vis non sufficit ad crises, in morbis acutis praecipue necessarias, efficiendas. Morborum vero chronicorum prognosis graviditate plerumque fit melior. Viribus enim corporis per graviditatem quasi suffultis, etsi natura raro medelam efficit radicalem, saepissime tamen videmus morbos chronicos minus celeri pede progredientes. In parte hujus scripti altera saepe nobis oblata fuerit occasio, ut hac de re plura dicamus.

Quid possit in morborum curam.

§. 8. Remediorum vehementiorum usum graviditas plerumque vetat, praesertim eorum, quae majori quadam vi aut uterum aut tractum intestinorum petunt. In morbis acutis medicus prudens saepius malit observantis, quam agentis munus suscipere; chronicorum vero cura, nisi periculum fit in mora, usque post partum differatur. Minime tamen e contrario probanda est eorum medicorum nimia anxietas, qui in morbis mulierum gravidarum omnino nihil suscipiunt, et matrem et foetum magnum damnum capere malunt; quam remedia apta praebere audent. Quod quidem maxime in morbis syphiliticis valet.

Quid possit in praedispositionem ad morbos.

§. 9. Erethismus nervorum, quem graviditatis initio insignem observamus, aucta vasorum actio, sub finem ejus maxima, ad morbos nervorum et vasorum, ad sanguinis congestiones, inflammationes, febres oriundas praedispositionem dant minime negandam. Contra praedispositio ad degenerationes, luxuriantes maxime, quoniam in graviditate vis plastica, a ceteris corporis partibus quasi deducta, in uterum maxime translata est, non paullulum minuta apparet. Maxima vero est graviditatis efficacia in minuenda ad morbos epidemicos et maxime contagiosos praedispositione. Quod quidem non fugerat ipsos antiquiorum temporum medicos. Nuper multis quidem nostrae aetatis medicis in cholera asiatica observata, quae aequo modo mulieres et gravidas et non gravidas corripuit, hac de re ortum est dubium. Sed licet graviditatis tutela non tanta sit, ut atrocissimi istius morbi impetum rejicere possit, non tollitur tamen veritas obser-

vationis omnibus temporibus factae, graviditatem esse clypeum quendam, qui a morbis epidemicis et maxime contagiosis quodammodo defendat. Mihi quidem ipsi contigit, ut in typho hujus rei veritatem e mea observatione probatam viderim.

Diversa vero est graviditatis in praedispositionem ad morbos vis variis graviditatis temporibus. Initio enim graviditatis multo magis mulier morbis invadentibus patet, quam serius. Graviditas enim alium omnino organorum functionumque ordinem in muliere provocat, indeque fit, ut organorum functionumque quasi aequilibrium turbetur. Quod quidem graviditatis intio aegrius fertur, quam seriori tempore, quo per consuetudinem aequilibrium quoddam rursus rediit. Ratione omnino simili res se habet eo tempore, quo in puellulis menstrua primum apparent.

Quantum valeat tanquam causa morborum occasionalis.

§. 10. Non paucos morbos, quorum praedispositio jam antea aderat, graviditas solet provocare, ut ascitem, haemorrhagias, hernias.

Quid possit in morborum decursum.

§. 11. Morbi acuti majori celeritate atque vehementia in graviditate procedere solent, morbi chronici plerumque minori. Febris enim inflammatoria, ut exempla afferam, majore rapiditate ruit in mulieribus gravidis, phthisis contra in cursu suo fere semper graviditate retardatur.

Quid possit ad commutandum morborum typum.

§. 12. Febres cum sint morbi acuti, majori, ut diximus,

celeritate ac vehementia in graviditate progrediuntur. Notum autem, quo celerius morbi currant, eo minus certum sequi eos ordinem, omniaque in iis ita confluere atque confundi solere, ut typus omnis turbetur, et observantis oculis denique omnino evanescat.

Quid possit in morborum exitum.

§. 13. Quivis morbus mulierem invadens, cum alias, tum maxime in graviditate partes genitales in morbos trahit, qui morbum primarium vehementia ac periculo saepe multo superant.

Rarius praeterea fiunt in graviditate crises morborum solemnes, sed frequentius imperfectae tantum, quo fit, ut magna morborum secundariorum copia subsequi soleat.

Quid possit in reconvalescentiam.

§. 14. Sunt, qui mulieres e morbis gravibus semper facilius; sunt contra, qui difficilius refici atque reconvalescere contendant, quam viro. Utraque vero opinio neque tanquam omnino vera recipienda, neque tanquam omnino falsa rejicienda videtur. Naturae enim vis, quae in procreando et reficiendo versatur in viro est potissimum peripherica, in muliere magis centralis. Quare in viro humorum copia ita consumitur ad procreandas et restituendas partes solidas, ut raro quidquam superfluum restet; in muliere vero humores parsimonia quadam colliguntur, et, ut thesaurus quidam conservantur. Inde sequitur, quod quidem experientia satis probatur, viros e morbis, per quos magnum solidarum partium detrimentum adductum est,

ut e vulneribus et ossium fracturis, celerius refici, quam mulieres, cum in morbis, per quos perdita est magna humorum copia, ut in haemorrhagiis, omnino sit contrarium. Quas quidem rationes, cum alias, tum in graviditate maxime, observamus.

De consensu variorum corporis organorum cum partibus genitalibus mulieris.

§. 15. Nulla est praeter cerebrum corporis pars, quacum tam multa, tam diversa locisque disjuncta organa in consensu quodam versentur, quam partes mulieris genitales. Quod quidem non temere, sed ratione a me esse dictum, in mulieribus, tum gravidis tum non gravidis, tum sanis, tum aegrotantibus observari licet. Tempore enim menstruationis, aut normalis, aut turbatae, et cerebrum, et medulla spinalis, et vasa sanguifera, et omnes nervi tum cerebrales tum spinales tum e nervo sympathico orientes, et ventriculus, et totus intestinorum tractus quanta vi in hac partium genitalium actione ratione sympathica afficiuntur? Unde fit, ut menstruationem ipsam normalem saepissime sensibilitas quaedam nimia, vasorum actio nimis aucta, dolores in regione sacrali, nausea, dyspepsia comitentur; ad menstruationem autem turbatam multae etiam aliae res: vomituritio atque vomitus, falsi appetitus, convulsiones et nonnunquam ipsius animi morbi accedant. Quem vero latet, in graviditate plurimas corporis partes per sympathiam aliquam in actionis suae ratione commutari? Nam, ut primum ea organa consideremus, quae nutritioni praesunt, quanta vis est, qua uterus gravidus in ea agit? Saepe enim tantam recipiunt irritabilitatem, ut nihil fere ciborum fe-

rant, unde fit vomitus saepe nullo modo sedandus, saepe etiam tantum torporem, ut fere nihil promoveant, unde fiunt obstructiones alvi pertinacissimae. Ipsa vesica urinaria, ut alia organa praetermittam, in graviditate consensuali modo afficitur. Nam praeter eas res, quas per compressionem, vesicae urinariae ab utero illatam, videmus adductas, saepe in mulieribus gravidis aut tantum torporem in vesica urinaria ortum observamus, ut urina diu retineatur, aut tantam irritabilitatem, ut saepe enuresis quaedam appareat. Quid porro dicam de consensu cerebri, medullae spinalis nervorumque omnium ex iis partibus proficiscentium? Nonne cum utero gravido miro quodam consensus vinculo cohaerent? Videmusne dolores capitis, vertiginem, neuralgias, spasmos graviditatis tempore saepius orientes, quam ullo alio? Quid deinde de vasorum in graviditate irritatione? Tantane est, ut mulieres saepe toto graviditatis tempore febricula quadam affectae videantur? Quid, quod cutis quoque in mulieribus gravidis conditionem habeat commutatam? Omnes enim res externae, ut caloris frigorisque vicissitudo, aër vaporibus repletus, majori cutis reactione percipiuntur. Mirum, quod ipsa parotis glandula cum partibus genitalibus, maxime cum ovariis, consensu quodam cohaereat. Qui quidem consensus, non satis hercle perspicuus, cum alias, tum praecipue in graviditate apparet. Quo evenit, ut in mulieribus praegnantibus salivatio quaedam spontanea nonnunquam appareat.

§. 16. Harum rerum, de quibus jam breviter dixi, amplitudinem tantam esse video, ut non tam copia, quam

modus in scribendo sit quaerendus. Quare jam ad partem specialem pergendum est.

PARS SPECIALIS.

SECTIO PRIMA.

De vi atque potestate graviditatis in morbos nervorum.

§. 17. Maxime hoc loco monendum erit, non easdem esse nervis variis graviditatis temporibus conditiones ac rationes, sed ante tempus graviditatis dimidiatum in nervis esse auctam percipiendi facultatem, et saepe erethismum quendam, contra sub ejus finem nervos, vasorum actione quasi victos, in torporem quendam incidere semper crescentem, et in ipso partu maximum.

§. 18. Inde priori graviditatis tempore nervi facilius in morbos ducentur, quam posteriori.

§. 19. Non desunt quidem mulieres, in quibus ille nervorum erethismus, aut omni, aut nullo graviditatis tempore observetur: sed insolita haec non possunt tollere módo a me dicta.

§. 20. Morbos nervorum non semper in partem priorem, sed in meliorem etiam graviditas adducit.

§. 21. Imo in variis mulieribus, eodem nervorum morbo affectis, non semper eadem ratione agit. Quod quidem unde sit, in tenebris plerumque latet.

CAPUT PRIMUM.

De morbis psychicis.

§. 22. Animus in graviditate ita mutatus apparet, ut non

aliter solum sentiat, aliter appetat, sed alios ipsos etiam mores nonnunquam sequatur. Mulieres enim, hilares antea, in tristitiam quandam ac fere melancholiam non raro incidunt; tristes ad hilaritatem graviditate nonnunquam provehuntur. Quis porro nescit, mulieres gravidas saepe oblectari rebus maxime spernendis; exoptatas antea res et summopere expetitas refugere. Satis praeterea etiam constat, mulieres bene educatas et antea semper optimos mores sequi solitas, gravidae cum fuerint, nonnunquam commisisse scelera nefanda, ut adulterium, furtum, cetera.

§. 23. Modo jam intendere coepi, non semper eadem ratione graviditatem agere in animi conditionem, sed esse mulieres, quas hilares antea, tristes, esse alias, quas tristes olim, hilares reddat. Alterum frequentius est, et praecipue in mulieribus primiparis, alterum rarius et in iis maxime fit, quae morbo aliquo nervorum chronico aegrotant, ut in mulieribus hystericis. Roederer elem. art. obst. §. 145.

§. 24. Morborum psychicorum Mania, et maxime Nymphomania ea esse videtur, in qua plurimum graviditas pollet. Nymphomania enim, quanquam non semper, plerumque tamen e partibus genitalibus, nimis irritatis, proficiscitur. Ista vero irritatio variis ac diversis rebus potest esse adducta, quales sunt: nimia coitus abstinentia, perversa phantasia, vermes aut in vagina aut in tubo intestinali versantes, victus nimis opulentus, venena, haemorrhoides suppressae, morbi organorum uropoëticorum, fluor albus nimis acris, inflammatio partium genitalium, onania, cet. In hac vero causarum nymphomaniae tanta varietate ac diversitate non eadem semper

ratione graviditas valere potest. Ac nymphomania, aut nimia coitus abstinentia adducta, aut phantasia petulante, aut onania, qua irritatur, non satiatur coitus appetitus, graviditate saepe tollitur. In nymphomania autem, ceteris rebus provocata, graviditas plerumque, ob auctam etiam per eandem partium genitalium irritationem, causis nymphomaniam excitantibus non remotis, nocet.

In mulieribus gravidis nymphomania interdum primum oritur, et maxime quidem ob mutatam per graviditatem nervorum conditionem, unde omnes mulierum gravidarum perversi appetitus procedunt.

§. 25. Melancholia quoque, e plethora abdominali saepe procedens, graviditate, quippe quae plethorae abdominali exoriundae maxime faveat, nonnunquam adducitur.

CAPUT SECUNDUM.

De hysteria.

§. 26. Hysteria non semper ex utero originem ducit, sed sunt etiam hysteriae formae, quae aut e nimia totius corporis debilitate, aut e morbo aliquo cujusvis organi abdominalis primum ortae, uterum consensuali modo postea petant,

Mauriceau traitè d. malad. d. fem. lib. III cap. XXI p. 451.

Quare duo potissimum hysteriae genera statuenda atqne discernenda videntur, alterum hysteriam idiopathicam, alterum sympathicam complectens. In hysteria sympathica graviditas plerumque nocet. Cum enim est infarctus organi cuiusdam abdominalis causa hysteriam provocans, per graviditatem infarctus iste augeri solet. Quum vero morbus aliquis organi cujusdam abdomina-

lis organicus hysteriam provocavit, morbus iste graviditate plerumque propter vim, qua uterus in organa abdominalia premit, ad pectus ducitur. Quum denique debilitas quaedam universalis hysteriam excitavit, graviditatis initio ob nervorum erethismum, tunc temporis cum graviditate conjunctum, mulieres ab hysteria plerumque plurimum vexantur, sub graviditatis autem finem, in quo in vicem erethismi istius torpor quidam processit, melius se habent. Post partum vero hysteria, ob auctam etiam plerumque debilitatem, majori vehementia redire solet.

Quod vero hysteriam idiopathicam attinet, diversa est graviditatis actio pro diversis causis, hysteriam adducentibus. Nam cum hysteria prodit e retardatione aliqua partium genitalium, reliquo corpore in evolutione sua satis longe progresso, quod in puellulis junioribus, virorum consuetudine, aut nunquam aut rarissime usis, haud raro occurrit, graviditas plerumque facit mira quadam vi, ad hysteriam non solum minuendam, sed omnino etiam tollendam. Quod quidem in puellula quadam rustica ipse insigniter probatum vidi. Ac in puellulis his recte dici potest Levretianum illud: „Il y a des filles, qui deviennent d'une bonne santé, lorsqu'elles sont mariceés. L'art d' accouch. §. 1046.

In omnibus ceteris hysteriae generibus graviditas aut parum aut omnino nihil potest, ut in hysteria ex atresia aut orificii uterini aut vaginae orta, aut e morbis partium genitalium profecta. —

Sunt, qui hysteriam favere contendant, ut aut sub graviditatis finem aut in ipso partu eclampia parturientium facilius oriatur. At hi quidem valde errant, et profecto minus errarent, si statuendum putarent om-

nino contrarium. Quod quidem inde patet, quod eclampsia nunquam prioribus graviditatis mensibus, quibus hysteria maxima solet esse vehementia, sed posterioribus tantum, quibus hysteriae vis plerumque fracta atque minuta est, apparet. Praeterea etiam hysteria praecipue occurrit in mulieribus, quarum nervi debilitate quadam laborant, eclampsia in iis, quae succo sanguineque abundant, at nervis utuntur plerumque firmissimis.

Sed quoniam ad eclampsiam delati sumus, jam pauca de ea dicamus.

CAPUT TERTIUM.

De eclampsia parturientium.

§. 27. Causam eclampsiae proximam ponendam esse in impetuoso quodam sanguinis affluxu cerebrum versus, et morbi symptomata et sectiones, in cadaveribus institutae, maxime suadent. Inde, quid sit, intelligemus, cur eclampsiae maxime implicentur mulieres sanguine abundantes et aetate juniores, primiparae inprimis, et eae, quae e parca atque dura vitae conditione in largam atque mollem venerunt, id quod brevi efficit plethoram universalem.

Jam manifesto apparebit, nihil omnino esse eclampsiae cum hysteria commune. In hysteria enim nervi ipsi aegrotant, et morbi causa in imis nervis quasi haeret; at in eclampsia nervi non aegrotant, sed sublata tantum est atque turbata sanguinis nervorumque recta ratio. Quae quidem si artis ope revocata est, statim eclampsia cedit.

CAPUT QUARTUM.

De epilepsia.

§. 28. In muliere epileptica graviditatis initio accessus epileptici saepius, quam antea, redire solent, sub ejus finem rarius.

Sed epilepsiam, morbum nervorum tam gravem, per graviditatem solam aut provocari aut omnino tolli posse, nemo hercule mihi persuadebit. Ac viri quidem, qui epilepsiam per graviditatem nonnunquam provocari confirmant, quae vero post partum sua sponte rursus cedat, profecto epilepsiam ab eclampsia non satis discernunt. Nec mirum, antiquiores harum rerum scriptores, nomine eclampsiae omnino carentes, passim in hac re errasse. At nostrae quoque aetatis sunt homines, qui utrumque horum morborum pro eodem sumi velint, et in eo maxime nitantur, quod in utroque symptomata occurrant omnino simillima. Quo quidem ineptius vix quidquam potest afferri. Quis enim est pathologorum meliorum, qui e signorum similitudine aut in eosdem aut in similes etiam morbos concludendum putet? Nonne in cholera indica et intoxicatione arsenicali symptomata fere eadem sunt? Quis vero inde petere velit, aut eosdem aut similes esse morbos?

Quam diversa sit epilepsiae et eclampsiae natura inde patet, quod eclampsia omnino non putanda est morbus nervorum, epilepsia contra morbus nervorum maxime intrans, nec minus inde, quod eclampsia est morbus acutus, epilepsia semper chronicus.

Nec minus falsa est eorum opinio, qui mulieres epilepticas facilius in eclampsiam incidere putant. Quod

quidem eadem ratione probatur, qua, quod hoc loco de epilepsia confirmavi, in §. 26 de hysteria statuere conatus sum.

CAPUT QUINTUM.
De spasmis.

§. 29. Spasmi graviditatis initio frequentissimi sunt, sub ejus vero finem rariores. Uterum ipsum saepe invadunt spasmi, nec raro adducunt abortum. Colica spastica in mulieribus gravidis passim occurrit, saepeque efficit vomitum vehementissimum maximeque periculosum. Spasmos praeterea, in pedibus mulierum gravidarum sedentes, a compressione nervorum pelvis mxime adductos, fere quotidie observare possumus.

CAPUT SEXTUM.
De rheumatismo.

§. 30. Mulieres gravidae facillime rheumatismo afficiuntur. Quod quidem ducendum est a frigoris impatientia, qua mulierum gravidarum cutis instructa est. Qua de re in §. 15 jam exposui. Ipsi etiam utero gravido rheumatismus non parcit, et dolores inde orti haud raro dolores partum praesagientes simulant.

SECTIO SECUNDA.

De vi atque potestate graviditatis in morbis, qui in vasis et sanguine maxime apparent.

CAPUT PRIMUM.
De plethora.

§. 31. Plethorae et exoriundae et augendae gravi-

ditas favet. Copiosior enim est et largior, cum semper, tum graviditatis tempore maxime, mulierum haematosis, quam in viris. Plethora praecipue graviditatis initio oriri solet, praesertim in iis, quibus, corpore sanguine repleto in graviditatem ingressis, nec deminutus est ciborum appetitus, nec menstrua graviditatis etiam tempore fluere pergunt. Haec vero plethora, ne fiat, natura ipsa saepe praecavet per menstruorum fluxum aut primo aut omni graviditatis tempore continuatum; nec minus per sanguinis evacuationes, aliis rationibus atque viis factas ut per epistaxin, haemorrhoides; cf. Mauriceau malad. d. fem. p. 194.

Praeter plethoram universalem fieri quoque potest plethora uteri partialis. Quae quidem saepe cum plethora universali conjuncta est, saepe vero omnino sola apparet. Plethora haec uteri partialis abortum saepe provocat, quo facto, periculum est haemorrhagiae subsequentis vehementissimae, v. Roederer in elem. art. obst. de causis abortum adducentibus.

CAPUT SECUNDUM.

De oligaemia.

§. 32. Sanguinis copia nimis minuta, cum semper in mulieribus celerius restituitur, quam in viris, tum in graviditate maxime, quippe quae haematosin augeat. Ac fere incredibiles et falso memoriae proditae videntur nonnullae hac de re narratae observationes. Mauriceau enim obs. XX mentionem facit duarum mulierum, quarum alteri unius graviditatis tempore quadragies octies alteri nonagies venaesectio sit facta, quod quidem, ut mulier non gravida sustinuerit, maxime vereor. (van der Wiel et Lucas). His vero observationibus si fidem habuerimus, facile statuemus, quanta celeritate sanguis amissus a gravidis reparetur.

Cum vero oligaemia tanta est, ut ad anaemiam propius accedat, nec naturae vis sufficit ad eam tollendam, pragnosis in graviditate solet esse pessima. Nam prae-

ter abortum, convulsiones saepe sequuntur tam periculosae, ut Levreto fides sit habenda, qui nunquam se vidisse mulierem gravidam confirmat, salva vita, e convulsionibus istis evadentem. L'art d' accouch. 1222.

CAPUT TERTIUM.

De sanguinis congestionibus in mulieribus gravidis.

§. 33. Vix reperias ullum tempus, ad sanguinis congestiones magis proclive, quam tempus graviditatis. Ad quod efficiendum major vasorum irritatio, sanguinis circulatio vehementior, nervorum erethismus, major sanguinis copia conspirant. Prae ceteris vero sanguinis congestiones cerebrum et pulmones versus frequentissimae sunt.

CAPUT QUARTUM.

De profluviis sanguinis et haemorrhagiis.

§. 34. Ad hos morbos mulieres gravidae valde inclinant, et, cum graviditate primum adducuntur, ut haemorrhoides, tum, ipsa finita, omni postero tempore facilius proveniunt.

Haemorrhagias uteri saepe sequitur abortus, et abortum rursus haemorrhagiae profusissimae. v. Roederer elem. art. obst. §. 728. — Neque tamen omnia sanguinis profluvia, quae in graviditate apparent, mala sunt, imo sunt nonnulla ne morbosa quidem dicenda. In mulieribus enim plethoricis sapienti consilio natura sanguinis molem saepe trudit; quae si remansisset, facile excitasset abortum. Quae quidem sanguinis profluvia salutaria in mulieribus succi sanguinisque plenis frequentiora sunt, quam in pallentibus macieque confectis. Sed ne in his quidem semper timenda. Sunt enim mulieres, quamvis debiles et fere exsiccatae, quibus tamen tanta est uteri plethora, ut et non gravidis menstrua fluant abundantissima.

Eodem sapienti naturae consilio in graviditate aut

priori aut omni nonnunquam tempore menstrua fluunt. v. Mende Krankh. d. Weib. B. I. p. 87. Quare falsum est Hippocraticum illud: Si mulieri in utero gerenti purgationes eunt, impossibile est, esse sanam. Aphor. 6 lib. V. Nec minus falsum Levretianum: „Une femme grosse n'est pas reglé ordinairement; l'on doit donc dans la disposition contraire s'attacher avec attention à remedier à cet etat, qui doit étre censé contre nature." L'art d. accouch. §. 232. Qua in re non sanguinis evacuatio per se, sed sola ratio, qua mulier post sanguinis jacturam valet, monstrare potest, utrum salutaris fuerit, an pernitiosa et utrum remediis obstandum sit, nec ne. Rem melius perspexerat Mauriceau, qui menstruorum fluxum et haemorrhagias bene distinguit, et illum non periculosum, has vero declarat periculi eo pleniores, quo profusiores sint. Eodem modo recte Roederer elem. art. obs. p. 146. a. Egregie etiam ea de re disputat Baudelocque l'art d. accouch. tom. I. cap. 3., nec minus bene Mende Krankh. d. W. B. I. p. 110.

CAPUT QUINTUM.

De graviditatis vi ad sanguinis profluvia suppressa revocanda, et turbata ordinanda.

§. 35. In sanguinis evacuationibus, quas natura exigit, aut turbatis, aut suppressis, cum has rursus provocet, illas in rectum ordinem redigat, plurimum graviditas pollet. Nulla enim res plus valet ad haemorrhoides suppressas revocandas, nulla plus ad menstrua suppressa reducenda, nimis parca augenda, nimis profusa moderanda, tempore turbata ordinanda, quam graviditas.

CAPUT SEXTUM.

De febribus.

§. 36. Aucta vasorum actio, quae febriculae similis est, nervorum erethismus, sanguinis major copia et frequentiores et vehementiores febres in mulieribus gravidis reddunt. Nec satis praeterea expedita est natura

ad crises febrium solemnes efficiendas. Abortum periculosissimum febres saepissime adducunt, praesertim continentes et contagiosae. Mauriceau in aph. „Les femmes, qui avortent, ou accouchent dans le tems, qu'elles ont une fièvre continue, sont en très-grand danger de la vie;" cf. etiam idem in obs. 318, obs. 395, obs. 432. Eodem fere modo Roederer elem. a ob. §. 728: „abortus febre continua, maxime contagiosa et inflammatoria, adscitus fere semper est lethalis." Non negandum vero, abortum nonnunquam sapienti consilio a natura provocari, ut, foetu detruso, expeditior sit ad morbum debellandum crisesque efficiendas. Quod ad singulas febres, monendum restat, febrem pituitosam in mulieribus gravidis tam raro observari, ut graviditatem mire in hunc morbum, ne oriatur, tueri putandum sit. Quod quidem maxime in urbe Heidelberga locisque vicinis, ubi endemicum est hoc febrium genus, licet observari. Febres vere intermittentes in mulieribus gravidis, quod notum est, multo pertinaciores solent esse, quam in aliis.

CAPUT SEPTIMUM.

De inflammationibus.

§. 37. Ob majorem sanguinis copiam, nervorum erethismum, majorem vasorum irritationem, ob frequentiores denique sanguinis congestiones, inflammationes et copiosiores et vehementiores in graviditate esse solent, quam alias.

Maxime vero inflammationes partium in abdomine sitarum, ut hepatis, lienis, renum, tubi intestinalis vehementia insigni quadam excellunt cum propter majorem sanguinis molem in graviditate has partes obtinentem, tum propter compressionem nimiam, ab utero his partibus illatam.

Ex inflammationibus singulis hoc loco inflammationes tantum partium genitalium promam, de quibus pauca dicam.

De inflammationibus partium genitalium.

§. 38. Utrum inflammationes partium genitalium in graviditate frequentiores, an rariores sint, viri docti adhuc litigant. Joerg enim „Krankh. d. schw. W. Abschn. V cap. 6 §. 572 primum a nobis dictum contendit; at Mende l. c. omnino contrarium. Utrumque vero in eo errasse existimo, quod non satis distinxerunt inflammationes partium genitalium acutas et chronicas. Quod si fecissent, statuissent fortasse potius, acutas in mulieribus gravidis, chronicas in aliis frequentius oriri. Quod quidem et ratione et experientia probatur. Ceterum inflammationum acutarum prognosis plerumque in gravidis pessima est. Qua de re jam Hippoc. aphor. 43. lib. V. „Si mulieri, ait, praegnanti fiat in utero erysipelas, lethale est.“

De catarrho.

§. 39. Prorsus eadem valent, quae de rheumatismo §. 30 exposui.

De dysenteria.

§. 40. Dysenteria, morbus plerumque periculosissimus, mulieribus gravidis sat saepe lethalis est, praesertim cum post abortum etiam continuatur. Quare Mauriceau recte proponit in aph. 124 et 125 et Levretus l'art d' accouch. §. 1159.

De lienteria et diarrhoea.

§. 41. Lienteria et diarrhoea in mulieribus gravidis non raro occurrunt, et saepe cum obstructionibus pertinacissimis alternant. Abortum saepe adducunt, de quo jam Hippoc. aph. 34 lib. V. „Mulieri, in utero gerenti, si alvus plurimum profluat, periculum est, ne abortiat.“ Nec raro tam pertinaces sunt hi morbi, ut sint crux medicorum, post vero partum sua omnino sponte saepe cedunt.

CAPUT OCTAVUM.

De dyserasiis et cachexiis.

§. 42. Ob vitam in mulieribus gravidis novam atque integram, ex utero quasi efflorescentem, haematosis, e qua tamquam e radice omnis vita crescit, et copiosior, et purior est graviditatis tempore, quam alias; ad quam rem accedit etiam nervorum vita recreata. Inde sanguinis corrupti naturam meliorem fieri necesse est, et recte jam Levretus l. c. §. 227. „Les femmes, ait, cachectiques se portent ordinairement mieux dans leurs grossesses, que dans tout autre tems.“ Quare morbi cachectici tardiore plerumque pede in graviditate procedunt. Medelam vero radicalem graviditas rarissime efficiet, imo post partum mala horum morborum conditio peior nonnunquam redit.

1) De chlorosi.

Chlorosis in erethicam et atonicam vulgo distinguitur. In chlorosi erethica, quae e debilitate quadam partium genitalium plerumque provenit, graviditas nonnunquam agit modo maxime salutari. In chlorosi vero atonica, quae cum debilitate totius corporis est conjuncta, plerumque nocet. Debilitas enim et per partum et per graviditatem augetur.

2) De ictero.

Cum bilis et secretio et excretio in graviditate variis modis impediatur, icterus in mulieribus gravidis haud raro occurrit, praesertim sub graviditatis finem.

3) Hydrops ascites.

Ascites per graviditatem ipsam demum provocatus post partum, nisi insignis adest ad hunc morbum praedispositio, plerumque recedit. Ascites contra, qui ante graviditatem corpus jam obtinuerat, post partum pede celerrimo currere solet. Quam rem ipse etiam probatam vidi. *Mauriceau* obs. 70 et 249.

4) De osteomalacia.

Utrum graviditas quidquam possit ad osteomalaciam adducendam, nec ne, adhuc nescimus. In mulieribus, quae pepererunt, profecto frequentius observata est, quam in iis, quae nunquam partum ediderunt. Sed osteomalacia e graviditate sola non potest prodire, cum in ipsis viris sit observata. In museo enim anatomico Heidelbergensi sceleta uxoris ejusque mariti servantur, qui ambo ab osteomalacia affecti a consueta hominis longitudine ad eam corporis brevitatem decreverunt, ut postremo vix essent bipedales. Non praetermittendum puto duas mulieres, osteomalacia affectas, a me auditas esse affirmantes, graviditatis tempore osteomalaciam fere nihilo esse auctam, post vero partum et praecipue, quod maxime mirum, post lactationem finitam morbum istum summa celeritate esse provectum.«

5) De morbis syphiliticis.

A. Gonorrhoea et fluor albus in graviditate semper vehementiores sunt. Quod quidem a mulieribus a me et interrogatis et exploratis expertus sum. Idem contendit Mauriceau mal. d. fem. lib. III. cap. 32. p. 469: »Beaucoup des femmes en (sc. des fleurs branches) sont plus incommodées, quand elles sont grosses, qu'en autres tems (Burns)«.

B. Lues syphilitica universalis si corpori jam ante graviditatem insederat, lente plerumque in graviditate procedit, si vero ipso graviditatis tempore corpori primum inseritur, maxima celeritate currere solet. Ne credas tamen, omnino nunquam esse aliter. Observatio a Mauriceau (l. c. lib. I. cap. 25) facta omnino contrarium suadet.

De vi atque potestate in morbis organicis sic dictis.

De Struma.

§. 43. Strumarum optime discerni possunt genera

quatuor: struma lymphatica, sarcomatodes, vasculosa, et lymphatico-vasculosa. Quum vero in graviditate vis plastica majori e parte in uterum translata sit, et praeterea etiam vasorum resorbendi vis aucta videatur: intelligemus, quid sit, quod struma lymphatica ac sarcomatodes in graviditate non solum non augeantur, sed nonnunquam manifesto decrescant. Struma vero vasculosa propter crebras sanguinis congestiones caput versus in graviditate plerumque augetur. — Jam, quid Levretus sibi velit, intelligemus, cum l. c. §. 139: J'ai encore, iuquit, observé, que dans le nombre des femmes, qui ont des glandes thyroides engorgées il y en a, dont la tumeur diminue à chaque accouchement, et qu'au contraire ii y en a d'autres dans lesquelles elle augmente.« Et paulo deinde: »Les premières ont le Gouétre de l'enfance, et les secondes seulement dépuis le premier accouchement.« Unde patet, cum strumae, quae inde ab infantia aderant, plerumque sint strumae lymphaticae, quae vero in primo partu exortae sunt, plerumque sint strumae vasculosae, Levretum strumis, quae singulis partubus deminuantur, indicasse potissimum lymphaticas, iis vero, quae post partum singulum auctae appareant, dixisse maxime vasculosas.

De morbis organicis vesicae urinariae.

A. mammarum.

§. 45. Inflammatio et suppuratio, si semel adfuerunt in mammis, graviditatis tempore facile redeunt. Neque tamen detrahendum est graviditati, quod plus possit ad indurationes mammarum jam inveteratas dissolvendas, quam omnia medicorum remedia. Sed hoc de indurationibus melioris ingenii tantum dixerim; malignas enim potius in cancrum graviditas traducet.

B. uteri.

Ipso graviditatis tempore rarissime fieri videntur uteri degenerationes, si ossificationem membranae muco-

sae et hydatides exceperis. Nec dubium est, quin pleraeque uteri degenerationes post partum, difficilem maxime, originem ducant.

Ceterum graviditas praecavere quodammodo videtur, variae uteri degenerationes ne tam frequenter exoriantur, ut scirrhus uteri, carcinoma, emphysema. Isti enim morbi frequentius observantur in mulieribus sterilibus vetulisque nunquam nuptis, quam in aliis.

SECTIO QUARTA.

De vi atque potestate graviditatis in morbis, qui ad Chirurgiam potissimum spectant.

De vulneribus.

§. 46. Vulnera graviditatis tempore difficilius sanantur. Nec mirum hoc erit, si saepius a me dictum in memoriam revocaverimus, esse vim reproductivam graviditatis tempore in utero auctam, in reliquo corpore minutam. Quo fit, ut suppuratio in mulieribus gravidis nonnunquam omnino fere cesset, et post partum demum satis facile possit revocari. Falsa tamen est ac nimis exaggerata eorum opinio, qui majora vulnera graviditatis tempore nunquam sanari posse contendunt. Nec dubium, quin plerumque in iis, quarum vulnera, omni artis ope justa ratione adhibita, ipso graviditatis tempore non potuerunt sanari, magis dyscrasia aliqua, in corpore latente, quam graviditate sanatio sit retardata. —

Inter singularum partium vulnera uteri gravidi maxime sunt timenda. Inflammationes enim, inde orientes in gravido utero insigni semper vehementia sunt praeditae. Praeterea periculum est, ne uterus vulneratus disrumpat foetusque per rupturae rimam in cavum abdominale propellatur.

De ulceribus.

§. 47. Ulcera ob eandem causam, qua vulnera in graviditate difficilius sanantur. Saepe vero tardiori pede in destructionibus procedunt, quoniam dyscrasiae, quae

iis subesse solent, graviditatis tempore minori celeritate plerumque currant. Quod quidem saepius sic fiet in ulceribus, quae jam ante graviditatis initium corpori inhaeserunt.

Monendum restat, e varicibus gravidarum saepe ulcera varicosa pedum emergere, quae tamen post partum non raro sua sponte rursus evanescant.

De ossium fracturis.

§. 48. Ossium fracturis graviditas certe maxime obstat, quominus ad integritatem redeant. Naturae enim vis reproductiva, in uterum potissimum translata, minus facit ad ossa fracta consolidanda. Accedit, mulierem gravidam non satis esse expeditam, quae teneat situm ac corporis collocationem his morbis aptissimam; parum etiam expeditam, cui machinae, et involucra ratione optima adaptentur. Nec tamen dubium, quin, cum graviditatis tempore consolidatio effici potuerit omnino nulla, plerumque magis dyscrasia, quam graviditas consolidationi obfuerit.

De dislocationibus partium mollium.

a) De prolapsu vaginae.

Prolapsus vaginae graviditate potest et primum adduci et amplificari. Praeter vaginae enim relaxationem, graviditate plerumque adductam, uteri quoque onus, praesertim cum pelvis sit amplior, vaginae ita incumbere solet, ut illa facile propulsetur. Quod quidem in gravidarum explorationibus sexcenties animadverti.

b) De descensu, prolapsu et procidentia uteri.

Qui morbi rarius quamquam fiunt in graviditate, quam alias, minime tamen graviditas omnino eos arcet, praesertim ejus initio. Posteriori quidem graviditatis tempore, quo uterus, in altiorem pelvis regionem latus, jam maxime extensus est, morbi isti rarissime fiunt.

Nihilominus Baudelocque l'art d'accouch. tom. I. sct. 3. §. 1, visam a se esse mulierem quandam affert, cui post sextum etiam graviditatis mensem uterus sit prolapsus. Quod tamen non aliter fieri potuisse equidem existimo, nisi cum fuerit maxima pelvis amplitudo.

Uteri prolapsi molestias graviditas valde plerumque minuit, sed nonnisi posteriori ejus tempore. Uterus enim, qui jam tertio mense ascendere coepit, per ipsam suam magnitudinem melius sustinetur, quam per omnem opem chirurgicam. Mauriceau obs. 95 et 115. Neque tamen graviditas medelam efficit radicalem, potius post partum prolapsus pejori ratione redire solet. Graviditatis vero initio, priusquam uterus ascendere coepit, valde plerumque augentur molestiae, ex utero prolapso ortae. Pondere enim majori etiam uterus et vesicae urinariae et intestino recto incumbit, unde oritur urinae faeciumque retentio, saepe nihilo, nisi artis ope, removenda. Periculosissimum, quamquam rarissimum, etiam est, si uterus gravidus prolapsus non potest reponi. Fabricius in Halleri disput. chir. tom. III. p. 434. Hoc enim si evenit, non solum ischuria et faecium retentio, sed inflammationes etiam uteri, abortus ceteraque pessimi ominis sequuntur. Ceterum non negandum, graviditatem causam esse praedisponentem, quo facilius prolapsus uteri eveniat post partum. In mulieribus enim, quae nunquam partum ediderunt, rarius hi morbi observantur. Attamen ipsae observatae sunt puellae, quibus uterus erat prolapsus. Mauriceau aphor. 127. Monro in operibus suis p. 535.

c) De retroversione et antroversione uteri.

Retroversionem uteri in graviditate frequentiorem esse, quam alias, plurimi putant. Observationes tamen Schweighaeuseri et Schmitti contrarium suadent. Richters chir. Bibl. B. V. p. 132. Posterioribus quidem mensibus graviditate rarissime concedi videtur utero, qui revertatur, cum tunc tanta sit magnitudine, ut pelvim to-

tam impleat, necspatium, in quo fieri possit haec uteri dislocatio, sit relictum. Quae vero si in graviditate apparet, non dubium est, quin sit periculosissima. Urinae enim et faecium retentio, nausea, vomitus, inflammationes, cetera, subito nasci solent, et mulieris vitam in summum vocare periculum atque discrimen. Notandum vero, naturam ipsam his rebus e retroverso utero minantibus saepe praevenire, ne exoriantur. Uterus enim in dies crescens paulatim elevatur et alienum illum locum sua sponte saepe relinquit, in altiorem ascendens. Quod quidem tam frequenter ita fit, ut sint, qui, nisi sit summum periculum in mora, totam hujus vitii medelam naturae, quam arti committere malint. E quibus J. Bursium, Schweighaeuserum et Schmittium l. c. afferam.

Antroversio uteri in graviditate et rarissima est, et minus periculosa, retroversione, saepissimeque, si graviditatis initio facta est, uterus crescendo ascendens justum in locum sua sponte redire solet.

d) De herniis.

Hernia umbilicalis saepissime graviditate provocatur, et, si aderat, amplificatur. Herniae etiam ventrales, praecipue in linea alba provenientes, frequentiores sunt, et maxime quidem fiunt, si vis quaedam major ventrem feriit mulieris septimo, octavo vel nono mense gravidae. Quae vero herniae post partum sponte saepissime cedunt. Notetur etiam velim, in herniis jam dictis plus graviditatem afferre periculi incarcerationis. Uterus enim, in dies magis ascendens, intestina abdominalia elevat et majorem semper eorum partem in herniae saccum propellit, dum integumenta nimis tensa herniae collum arctiore vinculo amplectantur.

Aliter omnino graviditas agit in herniam inguinalem et cruralem. Impedit enim quodammodo graviditas, quominus ipsius tempore nascantur. Namque uterus crescens intestina in altiorem locum propellit, et quodammodo ea sustentat.

Illud vero proprium est herniis omnibus atque commune, ut post partum ob factam ventris integumentorum relaxationem facilius nascantur.

Nonnunquam uterus ipse in herniam descendit. Mauriceau traité d. mal. d. f. cap. XV. Qui si concipit, periculosissima res est. Utero enim crescente, inflammationes oriuntur et ex iis saepissime gangraena. Ac miror maxime, tamen esse observatum, uterum sine periculo usque ad graviditatis finem in hernia remansisse, et, quod multo etiam magis mirandum, tantam fuisse naturae vim, ut infantem per ipsam vaginam in lucem propelleret. J. Burns Principies of Midwifery tom. I. in cap. de herniis. —

SECTIO QUINTA.

De vi atque potestate graviditatis in phthisi.

§. 50. Dubito, quin ullus morborum sit, in quo graviditas tantum possit, quantum in phthisi et ad morbi molestias leniendas et ad morbi cursum in tempus retardandum. Saepissime enim phthisis in graviditate eodem fere loco remanere videtur. Quod quidem maxime profecto inde petendum est, quod nova illa atque integra vita, ex utero emergens, vigore suo quasi recreat mulieris vitam jam debilem ac labefactatam. Accedit etiam haematosis gravidarum et purior et copiosior. In phthisi vero pulmonali illud etiam non est praetermittendum, quod sanguis a pulmonibus, in detrimentum tractis, in graviditate uterum versus quasi derivatur. Qua re natura idem assequitur, quod medicorum ars remediis derivantibus in hoc morbo assequi conatur. Nec tacendum tamen, vehementiores pulmones versus sanguinis congestiones, in graviditate frequentissimas, interdum etiam, si insignis aliqua ad phthisin pulmonalem exoriundam praedispositio adest, eo ducere, ut hic morbus maturiore etiam tempore proveniat. Quod quidem maxime fiet, cum graviditatum altera alteram nimis celeriter sequitur.

Neque tamen expectes, in ullo phthiseos genere graviditatem afferre quoddam commodum permanens extensumque ultra graviditatis fines. Quin, ipsa finita, in cursu suo majore fere semper phthisis celeritate pergit, Nam, partu edito, destitutum jam est corpus fulcro, graviditate allato, nec quidquam jam obstat, quominus corpus, antea jam labefactatum, subito collabatur. Cujus ruina per copiosissimas illas evacuationes, quae contingere solent mulieribus puerperis, lochia, lactis secretionem ac sudores, maxime etiam acceleratur.

Mende Kr. d. W. B. II. p. 361.

VITA.

Franciscus Meurer, Rhenanus, natus sum anno hujus seculi octavo, parentibus dilectissimis *Petro* et *Catharina Meurer*, quos ambos jam defunctos deploro; fidei catholicae addictus sum. Elementis literarum imbutus sum in Gymnasio Trevirensi, et examine rite superato, maturus, qui disciplinis medicis operam navarem die XXIII. Nov. MDCCCXXIX civium academicorum numero almae universitatis Borussicae Rhenanae adscriptus sum, et, per triennium integrum ibi versatus, scholas audivi hasce:

I. Philosophicas.

Praeter multas alias Logicen et Psychologiam Ill. *v. Kalker*; physicen Ill. a *Muenchow;* botanicen Ill. *Trevirani;* chemiam Ill. *Bischof;* mineralogiam Ill. *Noeggerath;* zoologiam et zootomiam Ill. *Goldfuss.*

II. Medicas.

In anatomia semel atque iterum mihi praeceptores erant Ill. *Mayer* et *Weber;* in osteologia Ill. *Mayer;* in botanice off. Ill. *ab Esenbeck;* in encyclopaedia medica, physiologia et pathologia universali Ill. *Mueller;* in mat. med. Ill. *Harless;* in therapia univ. et spec. Ill. *Nasse* pater; in chirurgia Ill. *Wutzer;* in arte obstetricia universa Ill. *Kilian;* in formulari Ill. *E. Bischoff.*

Triennio praeterlapso, academiam Heidelbergensem adii. Ibi chirurgiam iterum me docuit Ill. *Chelius;* idem ophthalmologiam, doctrinam operationum chirurgicarum et theoreticam et practicam, nec non medicinam forensem. Pathol. et therapiam iterum mihi tradidit Ill. *Sebastian.* In anatomia practica me instruxit Ill. *Tiedemann.* In clinicis exercitationibus et medicis et chirurgicis et obstetriciis mihi moderatores fuerunt per annum Ill. *Puchelt, Chelius* et *Naegele.*

Aestivo tempore anni praeterlapsi studia continuaturus, Bonnam reversus sum. Mense vero Octob. celeberrimam universitatem Berolinensem petii et, die VII. m. Nov. ab Ill. *Steffens*, h. t. Rectore magnifico civibus academicis et ab Ill. *Busch*, facultatis medicae decano maxime spectabili, medicinae studiosis adscriptus, in clinicis exercitationibus medicis Ill. *Bartels*, in anatomia Ill. *Mueller*, in doctrina de operationibus in cadaveribus instituendis Ill. *Schlemm* praeceptores veneror.

Jam vero tentamine et philosophico et medico, examine etiam rigoroso coram gratioso medicorum ordine celeberrimae universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis absoluto, fore spero, ut defensis hacce dissertatione atque thesibus adnexis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

T H E S E S.

1. *Partum serotinum existere non potest probari.*
2. *Inflammatio non est aucta vis vitalis.*
3. *Si mulier parturiens sectionem caesaream in ipsa instituendam recusat, medicus non dubitet, quin infantem vivum etiam perforet.*
4. *Febris gastrica saepissime est catarrhus intestinorum.*